Poëtae latini recentiores. 1527.

Schröteri (Adami): Elegiarum liber unus. Item Epigrammatum liber unus.

cf. Juszyński Dykcyonarz poetów T. II. str. 177.

ADAMI SCHROTERI, SILESII, ELEGIARVM LIBER VNVS.

*

ITEM

Epigrammatum Liber unus.

M. Joannis [illegible]
[illegible]
A.D. 1629.

AD CLARISSIMVM DOMINVM NICOLAVM HVBNERVM, MECOENATEM.

Te duce Pieridum nos lusimus ista sub antro,
Subq; patrocinio, scripsimus omne, tuo.

Anno Domini 1619

NICOLAVS HVBNERVS
FRANCOPHORDIENSIS,
AD ADAMVM
Schröterum.

*

CVm tua facundę perlegi carmina Musæ,
Quæ tibi tam facili dexteritate fluunt,
Hæc animo credas nostro tam grata fuerunt,
A mihi Peligno ceu data Vate forent.
Commendata meo, tamen hæc tua scripta, fauori,
Quod mea concelebrent nomina, nolo putes.
Sed cum præclaros inter Schrötere Poëtas,
Te meritò uideam posse tenere, locum.
Scilicet hoc propter, firmo te semper amore,
(Id tua nam uirtus cogit) Adame colam:
Teq; lubens omni qua possum parte iuuabo,
Ne uidear Musis, non bene uelle, tuis.

AD CLARISSIMVM AC NOBILEM DOMINVM NICOLAVM HVBNERVM MECOENATEM
DEDICATORIA.

*

ADAMVS Schröterus Silesius.

* *
*

PRæstans Pieridum decus Sororum,
O Hübnere, meę parensq; Musę,
Qui summo studium foues labore,
Phœbo Thespiadum deo, dicatum.
Qui uirtute potens, potens & auro,
Inter nubila summa collocatus,
Fama quidquid in orbe uiuit, imples.
Sunt qui multa tuo ferunt fauori,
Ostro, munera, quę nitent superbo,
Et donant uirides tibi Smaragdos,
Qui miris recreant modis ocellos.
Dum claros alii ferunt lapillos,
Nobis India quos perusta mittit,
Qui Gazas superant Midę potentes.
Illorum sequar ut patrone morem,
Transmitto tenuem tibi libellum,
Nostrę pignus is est nouum Thalię.

A ij Quam

Quamuis non liber hic nitebit auro,
Nec multum tenet eruditionis,
Alarum tamen hunc foue sub umbra,
Et uultu placidus legas sereno.
Nam mentis probitas, fidesq́ nostrę,
In paruis elegis palam uidetur.
Quem nunc accipe, consulas boniq́
Olim Castalii, nouem Sorores
Plena cum mihi sint manu daturę,
Fontis pocula, sub uirente Lauro,
Plena tunc tibi sum manu daturus,
Scripti grande genus, tuaq́ dignum
Fama, nobilitate, gloriaq́,
Quod Crœsi nec opes, nec ulla rerum
Vincet copia, sed minas iniquę
Mortis, duraq́ fata non timebit.
Quod dent omine, Dij boni, secundo,
Quod restat precibus, meisq́ uotis,
Commendo superis tuum fauorem,
Præstans Pieridum decus Sororum,
O Hübnere, meę parensq́ Musę.

ELEGIA I.

AD DOMINVM NICOLAVM HVBNERVM MECOENATEM.

*

CVltor & antistes nostri generose laboris,
Accipe per certas, uerba ligata, uices.
Sicq́ uacat paruę dare tempora parua Thalię,
Sydus Marchiacę nobile gentis, ades.
Immensa quamuis es rerum mole grauatus,
Quo tamen huic possis te dare, tempus erit.
Musaq́ nec uestras temeraria fertur ad aures,
Quę uenit, illa tuo mota fauore uenit.
Summa tuis primo debetur gratia factis,
Respondet meritis, gratia nulla, tuis.
Si mihi Schrötero foret aurea uena loquendi,
Qua referunt Pylium præualuisse senem.
Nulla tibi posset meritas facundia grates
Mecœnas, dignis persoluisse modis,
Perq́ uices doleo uarias, si qnando recordor,
Quid per te studiis utilitatis eat.
Tu mihi Gorgonei largiris pocula fontis,
Hinc mea Castalio corda liquore uigent.
Te duce Lauriferi conscendi culmina montis,
In quibus Aonidum ludit amica cohors.
Te duce, fac harum sim uictor in arce Sororum,
Te duce Pieridum castra sequamur, age.

Si modo te probitas, studiumq; fidesq; mouebunt,
Si pietas, certè, cur mouearis, habes.
Si qua mei superest chari tibi cura parentis,
Curaq; si Lasci te manet ulla tui,
Qui tibi me uerbis tunc commendabat amicis,
Cum sibi conuiuas maximus inter eras.
Siq; meę spectes hæc candida pectora mentis,
Sint indigna licet, digna fauore tamen.
Hinc & ut inde tuę, uarias sparguntur in oras,
Quas Deus è cornu diuite fundit, opes.
Auguror, en dubium nisi me mens præscia fallit,
Fata quidem studiis candidiora meis.
Te Mecœnatem Musarum sæpe uocabo,
Cum dedero Clario, scripta probanda, Deo.
Inq; tuę toto laudes Helicone loquentur,
Perpetuusq; tui cultor honoris ero.
Ecce uides, nostri dant pignora quanta Silesi,
Verbera quiq; patris pertimuêre mei.
Quale dedit nuper specimen non uile Rudolphus,
Et plures, quorum nos pia turba latet.
Tu potes illorum numero me iungere Vatum,
Omine quod facias prosperiore, precor.
Sic mea Musa tui canet inclyta facta fauoris,
Quodq; meum fuerit seruiet omne tibi.
His age uiue dies, per mitia fata, serenos,
Vtq; tui memores, sic memor esto mei.

Ele

ELEGIA II.

AD ANDRAEAM TRICESIUM VT LIBROS TVEATVR.

*

PEgasei præstans en fontis alumne Tricesi,
Carmina, quę calamo sunt peragrata rudi,
Quamuis illa tui uirtus generosa parentis,
Te queat excelso constituisse loco.
Quamuis & clarum genus, & spectabile nomen,
Clarus ab antiquis ordine ducis, auis.
Vt meritò possis lumen, sydusq; uocari,
Inter Sarmatiæ, tempus in omne, Duces,
Strennuus ipse tamen summis uirtutibus, addis
Antiquo generi, lumina clara, tuo.
Quamuis & patriæ notus splendore potentis,
Stemmatis, & summa nobilitate, tui.
Plus tamen extollunt te regia dona Mineruæ,
Maior & ingenij dotibus esse potes.
Tu quia Pierias hausisti largiter undas,
Hic ubi cæruleis labitur Albis aquis.
Inde tuum fama caput inter nubila condis,
Hinc tua Parnassi nomina seruat, apex.
Quid memorē? quanta linguæ dulcedine præstans,
Cecropij superas, aurea uerba, senis.
Suntq; tibi docto faciles in carmine Musæ,
Dictat Appollineum, Musa uocata, melos.

Non

Non igitur dubito, teneræ mea prima Thaliæ
Carmina, iuditio supposuisse tuo.
Inq; meos uestra si uideris urbe libellos,
Sunt tenues, tamen hos ut tueare precor.
Si quid habent, ut habēt uitij mea scripta, rogamus
Ætati ueniam, docte Poeta, meæ.
Accipies maiora breui, quæ, digna Patrono
Doctorum dabimus docta per ora, meo.
Namq; meis Musis se præbet in omnibus æquum.
Pandit & his portus, Italis ora, suos.
Viuito, Sarmatici decus o memorabile regni,
Meq; tibi certo fœdere iungat, amor.

*

ELEGIA III.

AD MECOENATEM CONSOLATIO DE MORTE CLARISSIMI VIRI VALENTINI HVBNERI PARENTIS EIVS.

CVr sua plus solito rutilantia lumina Titan
Condit? & auricomum, nube tegente, iubar?
Sydera cur fugiunt? cur cynthia luna recedit?
Nec magis æthereo (quo solet) ore micat?
Cur nec & in toto nunc lucifer orbe uidetur?
Creditur et solitis abstinuisse uiis.
Quid feret hæc inopina noui mutatio rerum?
Quis precor, id rectè q̃ mihi dicet, erit?
Ætas omnis ouans animis, plausuq; fremebat,
Nullus & hîc, meritò qui doluisset, erat.

At nunc

At nunc non iuuenes tantum, puerīq;, senesq;
Pectora, solliciti plena timoris, habent.
Quidquid at immensus terrarum continet orbis,
Condolet, & summi machina tota poli.
Non philomela magis demulcet cantibus aures,
Non magis aëriæ, dulce queruntur, aues.
Coa procul cessit uentoso purpura fastu,
Iura silent, cuiuis uindice facta carent.
Odera lene fluens, tumidis caput extulit undis,
Pluribus hunc casum flensq; dolensq; modis.
Nobilis urbs, Viadri quæ mollibus adiacet undis,
Tota gemit, gemitu penè coacta mori.
Ora Senatores manibus lachrymantia siccant,
Marchiacæ matres, Marchiacæq; nurus.
Et qualem nostris fallacibus hostibus opto,
Talis & est tota uultus in urbe super.
Tu quoq; Mecœnas, Heros ter maxime, mœsto
Tristitiæ tantum lumine cernis, onus.
Tuq; mihi longe forma mutatus ab omni
Crederis, hei subitò quo decus omne ruit?
Ipsa Sigismundi nullum domus inclyta regis,
Qui tecum meritis ordine certet, habet.
Æneas phrygios inter pulcherrimus omnes,
Qualis erat, pulchro conspiciendus equo.
Sidoniam quando sequitur generosus Elisam,
Vt uarias agitent, per iuga summa, feras.
Talis eras, hæc sola tibi sit gloria soli,
Inter honoratos, quos fouet aula, Duces.

 Nulla

Nulla dies abiit, quin musica plectra sonarent,
Implerentq́ꝫ tuas, tympana rauca, domus.
At nunc ingentes cæpisti pectore curas,
Nescio quid mentem sollicitetq́ꝫ tuam.
Luctus & ultrices agitant tua pectora curæ,
Opprimiturq́ꝫ tuum nunc sine fine caput.
Quid precor est? en, ecce subit, miserabile dictu.
Fata tuum terris eripuere patrem.
Dicite lugentes funebria carmina Musæ,
Vt sua post cineres fama superstes eat.
Non sic Alcyone Ceyca dolebat ademptum,
Nec gemit Ismarium, Cecropis ales, Itym.
Tullius, ingenio Romam qui maximus urbem
Ornauit, linguæ dexteritate suæ.
Non tantum patriam, post fata suprema, mouebat,
Æternum quamuis lumen in urbe fuit.
Hunc omnes quantum toto de pectore lugent,
Nec possunt lachrymis imposuisse modum.
Et meritò, quis enim (modo sit sectator honesti)
Non uelit heu tanti funera flere Viri?
Clarus erat meritis, morum splendore nitebat,
Et tenuit primum, primus in urbe, locum.
Publica præposuit priuatæ commoda uitæ,
Iustitiæ certus cultor & author, erat.
Omnibus æquus erat, uigilíq́ꝫ labore studebat,
Officio quemuis demeruisse bonum.
Phocidis & quamuis nunq́ꝫ sudauit ad amnes,
Nec sua Gorgoneis ora rigauit aquis.

Atta-

Attamen eloquio quemuis superare disertum,
Et potuit rigidos, ore mouere, Getas.
Famaq́ꝫ Palladias quibus inclyta parta per artes,
Palmaq́ꝫ pieriæ dexteritatis, erat.
Illos, non aliter tanquam pia numina cœli,
Asiduа coluit sedulitate, Viros.
Vidit enim, docti quid prosint omnibus horis,
Hinc ratus est illis numen inesse Dei.
Huncq́ꝫ Senatus erat summo dignatus honore,
Donec uita fuit lege soluta necis.
Nobilis urbsq́ꝫ uiro non est habitura secundum,
Quæ Viadri gelidas est sita propter aquas.
Plangite pupilli, charisq́ꝫ parentibus orbi,
Plangite, sint lachrymis, omnia plena, piis.
Vester enim cecidit Mecænas, atq́ꝫ patronus,
Qui uobis largam sæpe ferebat opem.
Dicite lugentes funebria carmina Musæ,
Vt sua post cineres fama superstes eat.
Sed tu magnanimi, generosa propago, parentis,
Quęso modum lachrymis (si potes) adde tuis.
Alterius facilè est fortissima uerba dolori,
(Contigit & cuiuis res ea) posse loqui.
Quid iuuat in fletum longas deducere uoces?
Nil agis, indignas cur petis ungue genas?
Fletibus haud manes, haud numina surda mouebis,
Sunt rata, quæ tristes proposuêre Deæ.
Viuimus arbitrio superum, stat certa uoluntas,
Quilibet hoc nostrûm tramite, carpet iter.

B ij Ibimus

Ibimus huc omnes,& lege trahemur eadem,
Proximus & Cræso, squallidus Irus, erit.
Cæsaris en proauos,atauos,durissima,summi,
Nuper & heu sanctum Parca trahebat, auum.
Ipsaq; Ferdnandi, coniux clarissima,regis,
Non potuit certum transiliisse diem.
Nonne putas uotis feruentibus esse petitam?
Non tamen ad superas,est reuocata, domus.
Ergo age,siste precor tanti suspiria luctus,
Non redit ad stygias quem ratis egit aquas.
Vt sumus,en mortalis erat, nunc supprime fletus,
Non ita,perpetua nocte sepultus,aget.
Nobilis at uiuunt,celeberrima nomina,famæ,
Quæ sic perpetuum,sunt habitura,decus,
Mors licet hic nobis,mortalia corpora,demat,
Nil tamen in titulos iuris habere potest.
Dicite lugentes funebria carmina Musæ,
Vt sua post cineres fama superstes eat.
Ecce, patrem dum nos miserè lugemus ademptum,
Molliter elysium possidet ille solum.
Gaudet & è tantis se nubibus esse remotum,
Et queis turbantur,sœcula nostra,malis.
Viue precor saluus,Domino comes addite Christo
Vt tibi perpetuę gaudia pacis eant.
Si placet,hosq; breues,tumulo super addite,uersus.
Tristis & impositum littera signet opus.
Profuit officio quibus hic,uigiliq; labore,
Hæc profecturis, dicite uerba,modis.

Nos tibi pro meritis uiolas & thura precamur,
Nec lædat cineres, ultima terra, tuos.

ELEGIA IIII.

AD ANDRAEAM SCHROTERVM PARENTEM, AGIT GRATIAS.

QVas tibi psoluã meritò,Pater optime, grates?
Quæ referam meritis,præmia digna,tuis?
Si mihi tercentum linguas natura dedisset,
Oraq;, Nestorea uoce, diserta forent.
Aut si Melpomene mihi dictet amabile carmen,
Adsit & ad partes, dexter Apollo, suas.
Plurima, quod paruis elegis committere possem,
Perpetuo gratæ,carmina, mentis opus.
Non tamen ipse queam, dignis extendere uerbis,
(O pater,o animæ,pars ueneranda, meæ)
Quo tua me studio, pietasq; fidesq; paterna,
Fouerit, & curam gesserit usq; mei.
Quantaq;,sub sacro uigilans Helicone pararis,
Præuius huic nato,fila sequenda, tuo.
Tu mihi principium uitæ, Musæq; dedisti,
(Illa tamen Domino cuncta uolente Deo.)
Tu mea Palladias formasti corda per artes,
Phocidis hinc hausi pocla perennis aquæ.
Hinc tibi perpetuas deberem dicere grates,
Dignus ob id, tota posteritate,legi.

Sed mea nunc alio mens est intenta labori,
Durior & uires Calliopeia negat.
At mihi tempus erit, labentibus ordine fatis,
Quo condam Clario, carmina digna, Deo.
Carmina, perpetuo gratam testantia mentem,
Possis & ut nati laudis honore, frui.
Filius ipse patri fama iungetur, & ambo
Effugient auidos, post sua fata, rogos.
Temporis at tribuat Deus id, quo nostra canendo
Dextera, tam fœlix aggrediatur opus.
Intereà clari, tua nomina clara, Silesi,
Immensis inter laudibus astra uehunt.
Summa tuoꝗ uenit capiti reuerentia cano,
Et tuus, ex merito te comitatur, honos.
Virꝗ puerꝗ tibi dignum meditantur honorem,
Silesii patres, Silesiæꝗ nurus.
Nam uigil illorum, dulcissima pignora, natos,
Ingenuas artes, ter duo lustra, doces.
Artibus ingenuis, dum rustica pectora formas,
Dumꝗ fugas, quidquid rusticitatis habent.
Hei quot natorum te tunc facis ipse parentem,
Hunc animi uerum (si reor) esse patrem.
Et quamuis durus labor ille scholasticus, ingens
Sisyphium, curis uincere possit, onus.
Tu tamen hoc gaudes, sine quo nec uiuere posses,
(Siqua fides uerbis, est adhibenda, tuis)
Est adhibenda fides, nam uidimus omnia, quanto
Hic te detinuit durus, amore, labor.

Quod

Quod certè proprium nulli conceditur unquam,
Sed diuina tuum numina pectus, habet.
Numen & illud erit, donec Deus ipse iubebit,
Officio summas imposuisse manus.
Læto quod facias aliquando sydere lætus,
Saluus ut in superum sede quietus, agas.
Viuat & ominibus mater charissima, faustis.
Multaꝗ, cum multo fratre, colenda Soror.
Vos Deus incolumes, qui temperat omnia nutu,
Seruet ad æternos, sæcula longa, dies.
Hocꝗ breui dubiæ, transacto tempore, uitæ,
Quilibet elisii, culta uireta, petat.

*

ELEGIA V.

AD ANDRAEAM MASCVM VIRVM SENATORIVM, SCRIBIT SE NACTVM PATRONVM.

MAsce, nouenarum decus immortale Sororum,
Masce Senatorii, gloria magna, chori.
Ipse mihi quondam (cœlo nisi fallor aperto)
Fundebas fido, talia uerba, sono.
Vltima Parnassi loca dum Schrötere laboras
Linquere, dumꝗ studes ulteriora sequi.
Multa feres, facies, sudabis multa ferendo,
Suppones duro, colla premenda, iugo.
Perfer & obdura, quæ non ingrata tulerunt:
Patria quos summo dulcis honore fouet.

Hinc

Hinc sibi diuitias, nomen, famamq́ pararunt,
Surget & hinc ingens fama, decusq́ tibi.
Illa meæ quamuis fuit exhortatio menti
Durior, experto nunc placet usq́ magis.
Multa tuli, fœci, sudaui multa ferendo,
Et graue senserunt, colla tenella, iugum,
Post tamen hos casus, post tot discrimina rerum,
Iactato uariis, Masce colende, modis.
Ecce mihi tandem Diui tribuere Patronum.
(Forsan adest Musis cœlitus ille fauor.)
Qui mihi Mecœnas, toto uenerabilis æuo,
Vera loquor, dempto fine colendus erit.
Namq́ meas, animo prompto fouet ille, Camænas.
Quaq́ potest, ultrò, parte leuare, leuat.
Non satis est, addet multo maiora, mihiq́
Pandet Pieriæ, culta theatra, domus.
Meq́ breui Christo cum fratribus auspice char is,
Mittet ad Euganeæ, limina sancta, scholæ.
Aut qua liligeri, cultissima mœnia, regis,
Musarum sacris undiq́ septa, iacent.
Illic ingeniis doctrinæ semina nostris
Vberiora, ratas adiiciemus opes.
Tu tamen intereà nostræ, pia cura, Thaliæ,
Maxima pars animi, Masce colende, mei.
Viuito, perpetuos fœlix fœliciter annos,
Charaq́ tu coniux, saluus uterq́ Vale.

Elegia vi.

ELEGIA VI.

AD DOMINVM NICOLAVM HVBNERVM MECOENATEM. SE STVDIO POETICO DETINERI.

*

ISta tui, per te surgentis, uerba Poetæ
Suscipe, disparibus, condita uerba, modis.
Vt genus humanum, semper diuersa uoluntas
Distrahit, & placet huic, qđ minus alter amat,
Hic securus agit, dum frigus captat opacum,
Aut iacet ad ripas, lenè fluentis aquæ.
Ille modo uersat, celeres in puluere currus,
Fortiter & frenis ora retorquet, equi.
Huncq́ tenent unctæ, iuuenilia dona, palestræ.
Dum pauidas, calamis decipit alter, aues.
Detinet agricolam, ruris sua cura paterni,
Impiger & duro uomere findit, humum.
Vere nouo flores, Autumni tempore fructus,
Quos certè multo fœnore carpat, habet.
Vt uagus argentum cumulet, mercator, & aurum,
Immensum dubiis nauibus æquor, arat.
Sunt, quibus arma libet ualidis uibrare lacertis,
Mauortisq́ student, horrida castra, sequi.
Adde quod oblitus tenere uenator amicæ,
Frigidus, & nudo sub Ioue sæpe cubat.
Dum terret uaria timidas formidine Damas,
Dumq́ erymanthæis retia tendit apris.

C Me

Me mea Calliopē delectat, maxime Vatum,
Et iubet in certos nectere uerba pedes.
Vtq; nouenarum me, præmia magna, Sororum,
Secernant populo, docte Patrone, rudi.
Me, Musasq; meas, animo amplectaris amico,
Vatibus atq; uelis inseruisse tuis.
Sic, te dante, meum caput inter nubila condam,
Vertice sic feriam, sydera summa, Vale.

ELEGIA VII.

IN ARMA INCLITI DVCIS, NICOLAI A' RADZI. WIL.

QVem tua te summis Virtus Heroibus addit,
O princeps, animo, diuitiisq; potens.
Quamuis à claris titulos proauis, atauisq;
Et genus eximiæ nobilitatis, habes.
Vt tua uel totum sint nomina nota per orbem,
Stemmatis & clari, dextera fama, tui.
Nam tibi nobilitas concessit, & inclyta Virtus,
Vt tria cum gemino cornua pisce, geras.
Cornua, uenatrix quibus utitur ipsa Diana,
Cum generosa truces cuspide figit apros.
Addita cornigeræ sunt lucida sydera Lunæ,
Ferreus & fortis calceus unus, equi.
Heroum, quæ sunt insignia uera, potentum.
Magnorum, quæ sunt præmia uera, Ducum.
Non

Non tamen hac fueras palma contentus auorum,
Nec ratus es, fortes ista decere Viros.
Sed tibi cura fuit, propria uirtute, manuq;
Nobilium uerum, posse parare, decus.
Ergo totius dominator, Carolus, orbis,
Cum uidit uestræ, fortia facta, manus.
Te quantum potuit titulis ornauit opimis,
Addidit & ueteri, nobile stemma, tuo.
Et dedit ad titulos, aquilam pernicibus alis,
Qualem, Ferdnandus Rex uenerandus, habet.
Insuper adiunxit galeas ex ordine trinas,
Quamlibet ex meritò, pulchra corona, decet.
De quibus ascendit mediam Iouis ales, & huius
Circumdat, præstans en diadema, caput.
Estq; leo primæ, rapidum tenet altera Gryphem,
Ista decent fortes, fortia signa Duces.

*

ELEGIA VIII.

IN IMAGINEM D. NIC. HVBNERI MECOENATIS.

CAlliope, reliquas inter, pars prima, Sorores,
Parnassi subitò montis ab arce, ueni.
Ibis ad eximios, gratissima turba, Sodales,
Quorum sunt animo, pectora iuncta, meo.
Inuenies quosdam, qui pro grauitate senili,
Præscribunt populo, iura tenenda, suo.
Iam solio quamuis resident, sellaq; curuli,
Non tamen immemores (hos reor) esse mei.

 Insuper

Insuper Ausonia multi in regione morantur,
Euganeę, subeunt dum pia tecta, scholæ.
Quidquid agent, à me cum te uenisse uidebunt,
Quilibet ex illis quid modo quæret, agam.
Dicito, Sarmatiæ uiuit Schröterus in urbe,
Quam præter tacitis Istula serpit aquis.
Mitia qui uobis, & candida fata precatur,
Vosq́ʒ iubet uita prosperiore frui.
Cumq́ʒ sibi tantum dulces faueatis amici,
Vt nemo uobis iunctior esse queat.
Hæc uoluit uestro me significare fauori,
Possit ut illius notior esse status.
Ausonia inuitus cum nuper ab urbe, reuersus
Hac qua grandi sonans æstuat œnus, erat,
Sarmatiæ tandem fessus peruenit ad urbem,
In qua Thespiadum, culta theatra, iacent.
Hic aderat iuuenis, Virtutibus auctus opimis,
Inclyta Marchiaci, fama, decusq́ʒ soli.
Nobilis ingenuas cui gloria parta per artes,
Palmaq́ʒ perpetuæ nobilitatis, erat.
Et qui facundos, studium ob commune, Poetas
Diligit, hos larga sæpe leuatq́ʒ manu,
Protinus huius erat iuuenis succensus amore,
Huic dabat & tales, ore loquente, sonos.
Huc ego diuersis, ueni iactatus, ab oris,
Virtutis certo motus amore tuę.
Tu rogo grata feras, nostris Hübnere Camœnis,
Munera, da Musis, munera grata, meis.

Tu mi-

Tu mihi Mecœnas facili cantabere uersu,
Te sciet occasus, quidquid & ortus, habet.
Et tua sic Virtus, populos cantata per omnes,
Viuet, & implebit solis utranqʒ domum.
Econtra tales fundebat pectore uoces,
Desine, non hoc sunt, ista petenda, modo.
Sed cum præclaros inter Schrötere Poetas,
Te meritò uideam posse tenere, locum.
Scilicet hoc propter, firmo te semper amore.
(Id tua nam uirtus cogit) Adame colam.
Tu mihi pręcipuos, non ultimus, inter amicos,
Nec mihi de multis iunctior, alter erit.
Vnanimes igitur, gratissima turba, sodales,
Cum procul à uestra sede remotus, agat,
Qui certè meritò iuuenes supereminet omnes,
Quos tulit, aut unquam Teutonis ora feret.
Mittimus effigta uobis sub imagine uultus,
Vt manus artificum condere docta solet.
Illius effigies, uestris sit semper ocellis
Præsto, pręsentem quilibet esse putet.
Expressit pictor faciem, uultumq́ʒ uirilem,
At sua diuinum pectora numen, habent.
Te tuus hic Vates, priscis annalib us addet,
O iuuenis, summos inter habende Duces.
Te genuit Pallas, doctus te pauit Apollo,
Teq́ʒ fouet gracili, casta Minerua, sinu.
Regia te summis Virtus Heroibus addit,
Quis ferat immeritò nomen ad astra tuum?

 Nobile

Nobile Francfortum, tanto ſe iactet alumno,
Humectat pingues odera cuius agros.
Te tantum peperiſſe decus, regale, potensq;
Tolle triumphantes, Marchia læta, manus.
Talibus ante Viros rebus, mea Muſa, peractis,
Deſine, ſunt animi, uota peracta, mei.
Detine nec longis faciles ambagibus aures,
Gratia colloquio, ni modus adſit, abeſt.
Inſuper ipſa piis, blandiſq; precabere uerbis,
Vt bene ſint memores, tempus in omne, mei.
Quoq; ſolent ſemper noſtrum coluiſſe patronum,
Firmus ut illorum pectore duret, amor.
Proſpera ſic illis concedat tempora uitæ,
Qui mare, qui terras, fœcit, & aſtra, Deus.

ELEGIA IX.

AD DOMINVM NICOLAVM DORNS-BACHIVM, CONSVLEM.

QVERITVR SE DECESSISSE AB OFFI-CIO CONSVLATVS.

*

OPtime Dornsbachi, nr̄æ uigil urbis Achates,
Dornsbachi patriæ, firma columna, meæ.
Nuper ut in uiridi ſolus ſpatiabar arena,
Multaq; de meritis, mente reuoluo, tuis.
Hic, ubi ſecuræ meditamur carmina mentis,
Cum ſequimur numeros, Naſo Poeta, tuos.
Neſcio

Neſcio. quem ſubito mea mens defertur ad amnem,
Eſſe uenerandum numen in amne, reor.
Non ſitus ad Gracchi locus eſt iucundior urbem,
Qua tumidus raucas, Iſtula uoluit, aquas.
Namq; nouem uiridi ludunt in littore Muſæ,
Cumq; ſua doctus Pallade, Phœbus adeſt.
Quas ego conſpiciens, propius ueſtigia uerto,
Percipiens uarios, aure patente, ſonos.
Omnia me calamo, Muſæ uidere, notantem.
Ex quibus una mihi talibus orſa loqui.
Cultor Apollinei generis Schrötere, quid ergo
Non tua funereis imbribus ora rigas?
Imbribus ora riges, & corda doloribus aptes,
Res ea ſolliciti plena timoris erit.
Qui primas tenuit, patriæq; regebat habenas,
Et dura durum mole ferebat onus,
Feſſus is, officii, curiſq; grauatus acerbis,
Dicitur hei curam depoſuiſſe ſui,
Sit licet huic lectus prudens ſucceſſor honori,
Non tamen horribili, res caret illa, metu.
Publica res illo quia conſule tota ualebat,
Floruit & patriæ reſq; ſtatuſq; tuæ.
Dixit, & impleuit triſti mea pectora luctu,
Multus erat querulo iuſtus in ore dolor.
Forſitan, huic animo gratiſſima Zitta, requiris?
Cur mihi cura tuas ſit doluiſſe uices?
An neſcis? quoties mihi baſia blanda dediſti,
Foueris & tepido, membra tenella, ſinu,
Si

Si quoq;, Dornsbachi celeberrime, forte requiras,
Cur tua tam memori nomina mente loquar.
Te præsens summo, semper uenerabar, honore,
Illud & à uestra sede remotus, ago.
Quatenus & uiuam te te reuerenter amabo,
Qui iubet hoc, sanctè me tibi iunxit, amor.
Venturum tribuat Deus o fœliciter annum,
Ille precor uentis ocyor annus, eat.
Rursus ut accipias, dignos te Consule, fasces,
Claraq; perpetuo tempore sceptra feras.
Palladis (utq; soles) defendito fortiter artes,
Quæ te conspicuo constituêre loco.
Sic Deus omnipotens, magni faber unicus orbis,
Pectoris inceptum sospitet omne tui.
Ergo uale, patriæ decus indelebile nostræ,
Ergo uale, longos, sed sine nube, dies.

ELEGIA X.

AD DOMINVM CHRISTOPHORVM CETVITZ A SCHILTBACH.

AGIT GRATIAS PRO ACCEPTIS BENEFICIIS.

I Te precor faciles, ad nostra poemata, Musæ,
Ne cogar longas increpuisse moras.
Ite Deæ faciles, celeriq; requirite cursu,
Limina Teutonicæ, grataq; tecta domus.
Nobilis hic Heros, uestris quærendus ocellis
Inclyta Cetuitiæ gloria gentis, erit.
Ille uir,

Ille uir, æternæ uerus uirtutis alumnus,
Sæpius à uobis cur meditetur, habet.
Hic quia sæpe solet lapsas releuare Camœnas,
Vestraq; deuota numina mente, colit.
Hæc illi, postquam fuerit data copia fandi,
Dicite, iucundis, debita uerba, modis.
Qui coluit uestros Schrôterus honore penates
Sedulus, hospitii sanctaq; iura tui.
Scilicet ut curis, turbaq; remotus ab omni,
Conderet aonio, scripta probanda, choro,
Temporis his igitur modo pro breuitate peractis,
Ad Mecœnatem cogitur ire suum.
Cogitur ire, tuum grauiter licet ipse fauorem
Deserat, & dulcis, dulcia quæq;, domus.
Ibit ad eximii gratas Antistitis ædes,
Nam tulit augurii, dextera signa, boni.
Vidit enim geminas pascentes ille columbas,
Dum mouet in uiridi, musica plectra, solo.
Ibit, & hei charos linquet, dulcesq; penates,
Et loca Pieriæ, semper amanda, Deæ.
Attamen ante ruet connexi machina cœli,
Quam nequeat studii non memor esse tui.
Forsan & Ausoniæ (charo legante patrono)
Arua petat, per te quod modo certus habet.
Quæ loca cunq; petet, tu sarcina grata futurus,
Illius & Musas dulce sequeris onus,
Hasq; tibi memori meditatur pectore grates,
Optat & huic uitæ, candida fata, tuæ.

 Huncq;

Huncq́ʒ uenerandus si Spiritus ille Deorum,
Coniunctum sacris Vatibus esse uolet.
Sol adeò nunquam tepidas mergetur in undas,
Quin sua te facili Pieris ore canat.
Vt tua per totum clarescant nomina mundum,
Nomina, mœonio carmine digna, Vale.

ELEGIA XI.

AD ORNATISSIMVM IVVENEM CASPARVM RVDOLPHVM, SILESIVM.

VT STRENNVE IN INCAEPTO STVDIO POETICO PERGAT, HORTATVR.

*

INgens Thespiadum lumen, Caspare, Dearum.
Iuditio, iuuenis semper amate, meo.
Scripta tuæ nuper legi lepidissima Musæ,
Quæ certè miris perplacuêre modis.
Illacq́ʒ me, multosq́ʒ tuo iunxere fauori,
Quorum semper erit mentio grata tibi.
Quis Deus ante diem, tanto tua pectora flatu
Impleuit? certè cœlitus illud habes.
Perge sacer Vates Phœbeo ludere uersu,
Pergito, sic Vatum de grege magnus eris.
Ecce sedent uiridi graciles in littore Musæ,
Et nectunt capiti, laurea serta, tuo.

Assur-

Assurgent summa quondam tibi laude Silesi,
Nobilis & nostræ gloria gentis eris.
Perge sacer Vates, iuuenis celeberrime, perge,
Nec pia diuinæ castra relinque Deæ.
Inuenit certum facilis tua Musa Patronum,
Quis non Mecœnas gaudeat esse tibi?
Te precor incolumem seruent pia numina nobis,
Seruet ad æternos, Parca benigna, dies.
Semper & ô nobis aliquid meditare legendum,
Quod studiosa cohors, posteritasq́ʒ probet.

ELEGIA XII.

AD QVENDAM QVI PLVS OPERAE IVRISPRVDENTIAE. QVAM POESI ESSE DANDVM, SCRIPSERAT.

*

ELoquar? an sileam? sine nomine facta legātur?
Omnibus an notum nomen in orbe uelim?
Quisquis es, ut taceo nomen, sic usq; caueto,
Ne tua trux Iambus, crimina tanta, notet.
Aut insanus eras, furiis agitatus acerbis,
Aut fuit in uariis, mens tua stulta, locis.
Quando meas, per te mihi littera fertur, ad aures,
Littera, consilii, dura ministra, tui.
Scilicet Aonidum ne strennuus ipse Sororum,
Otia peruigili tuta labore, sequar.

 Se

Sed potius spreto leges Helicone seueras,
Impiger ingenio supposuisse uelim.
E quibus argenti mihi copia diues, & auri,
Surgeret, & rigidi, gratia magna, fori.
Obiicis idq; mihi, quod Vatum maximus ille
Mœonides, nullas accumularit opes,
Funditus en pereat, tenebrisq; prematur iniquis,
Qui probat æternas, utilitate, deas.
Quod tibi causidicis petitur clamoribus aurum,
Labitur hinc fugiens, more fluentis aquæ.
At bona, Phœboei sibi quæ peperêre Poetæ,
Dic precor, hæc quanto sunt meliora tuis?
Quæ neq; Parca potest, nec edax abolere uetustas,
Hæc bona, funereos effugiuntq; rogos.
Quidquid & aonio scripserunt carmine Vates,
Illud ad æternos, stat q; manetq;, dies.
Dicito, magnanimus quot sœcula uixit Homerus?
Viuit, & æternum carmine nomen habet.
Nomen & Andini superest post fata Maronis,
Nec sumus immemores, Naso Poeta, tui.
Artibus hisq; Viri, quondam studuêre, potentes,
Dedita nec regum, turba pusilla, fuit.
Ergo, nonne tuam uexat dementia mentem?
Quod petière Duces, cur mihi turpe putem?
Ipse tibi quæras periturum legibus aurum,
Tristis & attonitos, iure tuêre, reos.
Nostra mihi intereà, (charo comitante Patrono,)
Carmine perpetuas Musa parabit opes.

Dum

Dum Mecœnatem gracili meditatur auena,
Tangit & auratæ, dulcia plectra, lyræ,

ELEGIA XIII.

AD DOMINVM NICOLAVM HVBNERVM MECOENATEM.

INDICAT DOLOREM, CVM AB ILLO PRIMO ABIVERIT IN VNGARIAM.

CVm subit illius mihi tristis imago diei,
Quò dixi summum, docte Patrone, Vale.
Quoq; tuos liqui dulces, charosq; penates,
Per uultus lachrymæ, flumin[illegible] instar eunt.
Cum reputo, quanto me sis complexus amore,
Et dederis studiis, præmia quanta, meis.
Corda dolore labant, querulus dolor occupat intus
Corporis exanimi, tristia membra, mei.
Non adeò dolui, non tantum fleuimus inquam.
Dulcia cum patrii liquimus arua soli.
Non meritò doleam? quis non putat esse dolendū?
Amittet charum, nostra Thalia, patrem.
Nil, nisi me duræ, durissima numina, Parcæ.
Diuidet, à laribus, docte Patrone, tuis.
Quas tu cunq; uolens fueris delatus ad oras,
Aut loca, quæ terra, suntq; remota, mari.
Si forsan nequeo præsenti uiuere præsens,
Mente tamen fuero, sarcina parua, tibi.

D iij Me sibi

Me sibi si socium Pollux cum Castore poscat,
Cœlestes nolim, te sine, adire plagas.
Te semper colui, multis de millibus, unum,
Dilectiq; mihi more parentis eras.
Non adeoq; tibi despectum nomen Adami,
Vile licet, curæ sed tamen illud, erat.
Quando abii, tunc mœstus eras, (si uera fatemur)
Nullaq; pars, lachrymis quæ caruisset, erat.
Grandibus in paruis quod si conceditur uti
Exemplis, subitò grandibus utar ego.
Non tantus mœror, non tantus deniq; luctus,
Illion à Danais cum caperetur, erat.
Singula quid referam? mea pectora mœsta, doloris
Exoptant [illegible] quem, posse uidere, modum.
Pieris ergo tuo mea commendata fauori
Semper erit, finem sic habitura, Vale.

ELEGIA XIIII.

AD MODESTVM IVVENEM MARCVM AMBROSIVM SILESIVM.

MArce mihi charos inter, pars prima, sodales,
Pars desyderii maxima, Marce, mei.
Ante suos repetet cursus Crœtensis Oaxes,
Aut qui pannonios Ister inundat agros.
Ante lepus tarda poterit testudine uinci,
Nec uagus æquoreas piscis amabit aquas,
Quam

Quam mihi displiceant tam gratæ pectora mentis,
Illaq;, quæ iunxit te mihi, certa fides.
Nam tua cum nobis subit officiosa uoluntas,
Cogor amicitiæ debitor esse tuæ.
Quod fuit Eurialus Niso, tibi certior illo
(Equa modo) si res ulla requiret, ero.
Alter & Actorides, me semper habebis Acchillem,
Pro te sustineam, tristia quæq;, pati.
Pirithooq; uelut Theseus comes ibat amico,
Sic peteres stygios, me comitante, lacus.
Sed tibi cur mirum, dulcissime Marce, uidetur?
Quod toties Bacchi, dulcia festa, colo.
Ille dedit lepidis, gratissima dona, Camœnis,
Qualia nec Pallas, nec dedit ipsa Ceres.
Quem, ueteres tantum quod si coluêre Poetæ,
Cur sua non nouus hûc miles ad arma, uocet?
Vina dabunt semper faciles in carmine uires,
Et nisi mixta mero, carmina nulla, ualent.
Nam sacra Pieridum quoties accessit Homerus,
Ranarum nunq; balnea sumpsit, aquas.
Ergo si ueterum sequimur uestigia Vatum,
Fortiter hic nobis mosq; sequendus erit.
Ne mirêre igitur posthac, sed multa paratus,
Pocula nectarei plena liquoris, habe.

* * * * * * *

Elegia XV.

ELEGIA XV.

AD DOMINVM NICOLAVM HVBNE-
RVM MECOENATEM,
DE CORONATIONE REGINAE
BARBARAE.

*

PIerides Latiæ, comitantibus ite Pelaſgis,
Omnia ſic uobis conuenienter eant.
Exiguumq́ꝫ meo carmen fertote Patrono,
Qui præbet noſtræ, uêla ſecunda, rati.
Quem ſolum mea Muſa colit, ueneratur, amatq́ꝫ
Cuius & ingenio numen ineſse putat.
Cui tribuunt multum docti, totuſq́ꝫ uidetur
Nobile Naſoni præripuiſse decus.
Dicite, Schrôterus uotis feruentibus optat,
Vt ſpatium uitæ, molle ſit omne, tuæ.
Noſq́ꝫ tibi celeri curſu transmittit ab urbe,
Quam præter tacitas Iſtula uoluit aquas.
Illius ut paucis ageremus nomine tecum,
Quodq́ꝫ breui præſens (ſi modo uiuet) aget.
Præterea quædam miſiſset carmina uobis,
Fœturam Muſæ (miſit ut ante) ſuæ.
At non tempus erat, neq́ꝫ tunc anguſtia paſsa eſt,
Plura per incertos cogere uerba pedes.
Attamen interea clari, de coniuge, Regis,
Quando coronata eſt, diſtichon iſtud habe.

Hic

Hic regale decus, regalis Barbara coniux
Quando tulit, fuerat, terra ſepulta, niue.
Hoc rude quod numerū carmen complectitur anni, Numerus anni.
Ne tibi, nec reliquis diſplicuiſse uelit.
Quod ſupereſt, columen præſtans Hûbnere Dearū
Viuito, cumq́ꝫ tuis alite uiue bona.


ELEGIA XVI.

AD DOMINVM NICOLAVM HVBNERVM
MECOENATEM,
LOCO MVNERIS NATALITII.

MOs erat antiquis toto memorabilis æuo,
Romaniſq́ꝫ fuit ciuibus uſq́ꝫ frequens,
Veloces quoties cæpit reuocare Calendas
Ianus, qui gemina lumina fronte gerit,
Munere quod fidus donaret amicus, amicum,
Quod, certum certi pignus amoris, erat.
Ergo Mecœnas, ſanctarum fama Sororum,
Mecœnas ſtudii, portus & aura, mei,
Ipſe ego ſim charos licet ultimus inter amicos,
Quos tibi Theſeo iunxit amore, fides.
Vtq́ꝫ tuo uideas quantum ſtudeamq́ꝫ uelimq́ꝫ
Nomine, per Muſas certior eſse potes.
Exemplo ueterum, præſtantia dona, Virorum,
Si tantum poſsem talia ferre, darem.
Sed Dea, quæ nimium uultu me terret iniquo,
Impedit, at memorem non uetat eſse tui.

E Mitti-

Mittimus intereà, chartacea munera, dono,
Munera, quæ mihi ſunt diuite prompta penu:
Quæ rogo ſint animo memori gratóq; recepta,
Neuè tibi quidq̃ diſplicuiſſe uelint.
Namq; tuo donat mea mens, animusq; fauori,
(Quo nihil hoc nobis dulcius eſſe poteſt)
Corpus, & ingenii uires, animiq; uigorem,
Quidquid & eſt Vatis, dedicat omne tibi.
Adde quod & ſupplex & prona mente precatur,
Qui caret extremo, principióq;, Deum.
Annus ut hic fœlix, fœlicior usq; recurrat,
Et tribuat uitæ, mollia fata, tuæ.
Saluus & ut peragas longæuæ tempora uitæ.
Ex hoc in longos, tempora longa, dies.
Quid memorabilius, uel quid præſtantius unquam?
Vtile quidue magis maximus orbis habet?
Quam longæ, quibus uſus adeſt, habuiſſe ſenectæ,
Publica qui curent pro grauitate, Viros.
Illis transacti ſpatioſi temporis, ætas,
Et ſapere & multis conſuluiſſe, dedit.
Sit ſatis, atq; nouo uiuas bene ſaluus in anno,
Cunctaq; pro uoto ſtentq; cadantq; tuo.



ELEGIA XVII.

AD DOMINVM NICOLAVM HVBNERVM MECOENATEM, MITTIT ILLI CARMEN HEROICVM.

*

QVis meritò quærat? quoties tua nomina mẽti
Affectu ſubeant nocte, dieq;, meæ.
Lumina dum ſolis tepidis merguntur in undis,
Oſtenditq; faces, nox tenebroſa, ſuas.
Dumq; refert mundo, rutilantia lumina, Titan,
Dumq; trahit medio Phœbus in axe diem.
Mentio grata tui nullo delebitur æuo,
Nec ſinet immemores nominis eſſe tui.
Te ſolum mea Muſa colit, ueneratur, honorat,
Credit & amplexum numen habere tuum.
Verbaq; noſtra fide careant, niſi dicat abundè,
Se tibi coniunctam, tempus in omne, fore.
Et calamo quodcunq; meo meditabitur unq̃,
Dedicat illa tibi, dicit & eſſe tuum.
Ergo ne dubites, ne ſpes uideatur inanis,
Sed uideas, quantum ſit ſtudioſa tui.
Mittimus intereà ſpecimen tibi uile Poeſis,
Mittimus hæc Domino, ſcripta dicata, meo.
Non mea quod iactem, ueſano carmina faſtu,
Aut illis multum ponderis eſſe putem.

Non, aſt illa docent, nil hoc ſub ſole perenne,
Nil adeò firmum, quod queat eſſe diu.
Non mihi diuitiæ, nec fuluum quæritur aurum,
Grandia nec Cræſi diuitis æra peto.
Illa meæ uiuat Muſæ poſt funera Virtus,
Et mea poſt certum fata ſuperſit, opus.
Sat mihi diues ero, ſi me, charumq́ꝫ Patronum
Quidquid in hoc toto permanet orbe, leget.
Quo feror? aut quorſum? qs me mō detinet error?
Sit ſatis & cæptam perfice Muſa uiam.
Nunc age mente legas placida, quæ ſcripta ſequunt.
Sunt, tibi quæ placeant, admoneantq́ꝫ mei.

AD DONINVM NICOLAVM HVBNERVM MECOENATEM.

SPontè ſua, quamuis caput inter nubila condat
Imperioſa tuum, quæ tendit ad ardua Virtus,
Miſceat & ſuperis tua te pietasq́ꝫ fidesq́ꝫ
Vtile conſilium, grauitas, moresq́ꝫ probati,
Sanctaq́ꝫ naturæ bonitas, & neſcia fraudis
Simplicitas, & uis in rebus ſumma gerendis,
Et genus, & cenſus, & nobile nomen auorum,
Labe torusq́ꝫ carens & ab omni crimine purus.
Et tua grandiloquens doctæ facundia linguæ,
Nam tibi Mecœnas datur aurea uena loquendi,
Neſtoreum qua tu potis es ſuperare liquorem.
Quam-

Quamuis & ſatis ipſe quidem, per teq́ꝫ tuumq́ꝫ
Scilicet ingenium, Superum uenerabile munus,
Te, nomenq́ꝫ tuum, totum uolitare per orbem
Efficias, ut non humilis, tua fama, Poetæ
Verſibus indigeat, cui ſunt in carmine Muſæ
Perfaciles, & cui pro uoto iuſſa capeſſant.
Inclyta cui Pallas animo famulatur amico,
Et qui multa queat doctis mandare libellis,
Vel quæ poſteritas, uenturaq́ꝫ ſœcla probarent.
Illa tamen non cauſa uetat, non uſq́ꝫ repugnat,
Ne Mecœnatis meditemur nomina noſtri.
Sed mea Muſa mihi ſtimulos, & calcar eunti
Subdit, & abſq́ꝫ mora totis me uiribus urget,
Ne mihi grata tui cadat unq̃ mentio, neue
Longius in calamo lateat tua regia Virtus.
Non ſecus, ac primos palmæ petiturus honores,
Per ſe currit equus, celeri pede, curſibus auras
Exuperare ſtudens, laudum ſucceſſus amore.
Cum tamen hortatur, ne quæ mora tardet euntem,
Altius ingreditur gaudens, cæptoq́ꝫ labori
Omnibus incumbens animi conatibus, omnes
Accipit ante alios uolucris data præmia curſus.
Sic ego ſponte mea, Muſisq́ꝫ iubentibus ipſis,
In laudes feror uſq́ꝫ tuas, & nomen auitum.
Iam quia non tantum uideor mihi Iuris habere,
Vt cohibere manus, ſcribendis uerſibus aptas,
Aut ullo poſſim uinclo frænare tenaci,
Quo minus ipſe mihi tali, Patrone, Patrono

 Glorier,

Glorier, inq; poli me partibus esse locatum
Glorier, Aonidum præstans & fida mearum,
Anchora, præsidium, tutela, parensq; sororum.
Te colat & seruet Cytharæ pulsator Apollo,
Te ter trina Iouis soboles ueneretur, ametq;.
Principium tu namq; mihi, geniumq; dedisti,
Et dabitur per te mihi meta suprema laborum.
Tu mihi semper ades fautor, nostrisq; Camœnis
Plurima non tantum uerbis, & uoce daturum
Promittis, sed res & factum uerba sequuntur.
Quas referam grates Hübnero? dicite Musæ,
Dicite Pierides, studii, nostriq; laboris
Participes, quia uos nostis, quam multa locarit,
Quantaq; præstiterit nostræ benefacta Poesi.
Res ignota, silent omnes sermone represso,
Alloquor his iterum dictis, audite sorores
Vraniæ, dignis an digna rependere possim,
Hæc mihi (ni fallor) potior sententia uisa est,
Cœlicolum supplex, pronusq; precabor ad aras,
Vt tribuant illi, uel quæ uehit aurifer Hermus
Munera, diuitias & opes, gemmasq; micantes,
Quæ possint Arabum gazam superare superbam.
Talibus auditis, Musæ risere solutis
Oribus, & mirabantur mea uerba loquentis.
Protinus ipsa chori medium mea Diua relinquens,
Calliopè, quæ me summo complexa fauore,
Me petit, & postquam propius uestigia pressit,
Incipit, & dubium uerbis affatur amicis.

Cultor

Cultor Appollinei generis Schrötere requiris,
Qua ratione queas, dignas persoluere grates
Hübnero, quo non meritis præstantior alter.
Quem genuit Phœbus, doctus quem pauit Apollo,
Inclyta quemq; sinu Pallas lactauit amœno,
Quiq; tuis semper studiis ita profuit, ut te
Non secus ac proprios fratres (si uera fatemur)
Diligat, est fœlix tali tua Musa Patrono.
Tu tamen aduertas, illi quæ dona preceris,
Non ego diuitias, non auri pondera facti
Infectiue uolo, quibus is prius usq; redundat.
Rerum tempus edax ferrum consumit & aurum,
Quidquid & in toto terrarum nascitur orbe.
Nil adeo stabilè est, quod non spatiosa uetustas
Perdat, & annorum series, confundat & ordo.
Iam periêre diu septem miracula mundi,
Regia nunc ubi sunt Cyri monumenta superbi?
Diruta Troia iaces, curuo te findit aratro
Rusticus, & segetes intra tua mœnia crescunt.
Præterea fortes uixêre ante Hectora multi,
Consilio, meritisq; graues, multumq; ualentes
Dotibus ingenii, pietate, fideq; probati.
Non minus hos etiam nitido, Dea luminis expers,
Fœcerat argento magnos, opibusq; potentes.
Quid iuuat? ignoti nunc omnes morte tenentur,
Et miseri tenebris & nocte premuntur iniqua,
Namq; carent docto Phœbœi carmine Vatis.
Tu si grata uoles Hübnero dona parare,

Munera

Munera ſic accepta ſatis retuliſse putato.
Cum ſis Laurigerum totus Schrötere Sororum,
Natus ad arma chori, quarum tua rector Apollo,
Ante diem celebri iuuenilia pectora flatu
Impleuit, gracilíꝗ tibi permiſit auena
Ludere quæ uelles, noſtris accingere iuſsis.
Dignum laude Virum, ſemper tua muſa loquetur,
Æternæꝗ canes illi præconia famæ,
Quod uero citius peragas, promitto futuram
Auxiliatricem tibi me, comitemꝗ laborum.
Dixit, & ad doctas eſt iſta reuerſa Sorores,
E contrà tales fundebam pectore uoces,
Quod me cunꝗ iubes faciam, (mea maxima cura)
Admonitus meliora ſequar, meliora parabo
Munera, nam certè male grati nomen haberem,
(Nomine quo peius totus nil continet orbis)
Nî mea Muſa Viri laudes celebraret, & uſꝗ
Ferret ad ætherei rutilantia ſydera cœli.
Et niſi conarer, bonitatis munera largæ
Illius, quæcunꝗ mihi, quæcunꝗ Camœnis
Sæpe meis dederit, facili deſcribere uerſu.
Vos igitur faciles ad noſtra poemata Muſæ,
Nunc mecum cantate precor, cantate rogatæ,
Voce ſimul ſumma nunc terꝗ quaterꝗ canatis.
O Hübnere, facis tuus hic quod uiuit Adamus,
O Hübnere, facis tuus hic quod ſcribit Adamus.

* * *

Adami

ADAMI SCHRÖTERI SILESII, EPIGRAMMATVM LIBER.

*

AD CLARISSIMVM DOMINVM MARTINVM ZALOGA.

DEDICATORIA EPIGRAMMATVM.

NOſtra dabit gratos, tibi docte Zaloga, libellos
Pieris, Andino, digne Zaloga, ſtylo,
Quamprimum manibus calamos aptauerit iſtis
Hübnerus, Muſæ duxꝗ paterꝗ meæ.
Vt tamen intereà queat officioſa fauorem,
Et ſtudiis animum demeruiſse tuum,
Accipe, quæ tenui ſunt carmina condita uerſu,
Quæ uolumus primi muneris eſse loco.
Accipe, ſuccinctum te munus & illud habentem,
Sæpius arguta cum breuitate iuuet.
Veſtra quod æternæ committet nomina famæ,
Noſtra breui certum Muſa parabit opus.
Te quia Mecœnas, animo ueneratur amico,
Ergo meæ fueris cura ſecunda Deæ.

In ar-

IN ARMA DOMINI NICOLAI HVBNERI, MECOENATIS.

*

MAximus immenso meritis Hübnerus in orbe,
Clarus & ingenii nobilitate, sui.
Cur precor in titulis timidam Schrötere columbã,
Vndiq; quam prudens circuit anguis, habet?
Hæc sibi Maiestas, toto memorabilis æuo,
Quæ regit imperio Sarmata regna, dedit.
Huic solers Ithaci sapientia cedit Vlissis,
Cedit, & id serpens prouidus ille notat.
Huic & simplicitas, æuo rarissima nostro
Perplacet, & uerus simplicitatis amor.
Simplicis ista docet mitis natura columbæ,
Quæ gerit, ex meritò regia signa gerit.

AD CLARISSIMVM DOMINVM ANSELMVM EPHORINVM MEDICINAE DOCTOREM.

HOc Desyderius tribuit tibi laudis Erasmus,
Quod sis Pierii, gloria summa, chori.
Illud adhuc etiam multi testantur, & inter
Lucida te claris laudibus astra locant.
Ergo tuum meritò, Doctor celeberrime, nomen
Deberet scriptis clarius esse meis.
Quod tamen inuitus, nolensq; uolensq; relinquo,
Dum mea mens Musæ gratius optat, opus.
Tu tamen intereà primis Ephorine Camœnis,
Dexteraq; auspitiis signa precare meis.

AD DOMINVM ALBERTVM KVNITZKI, VICESVPPARIVM BOCHNAE.

*

NOx erat, & placidũ carpebant lumina somnũ,
Cum uisa est oculis, cœlica Diua, meis.
Quæ mihi (more suo cum prospera quæq; precat)
Ista dedit gracili, uerba diserta, sono.
Cras ubi Tithoni rubefœcerit æthera coniux,
Et trahet in medio Cynthius axe diem.
Cum domino Alberto lautissima prandia summes,
Qui decus, æternæ nobilitatis, habet.
Qui tibi se facilem semper præbebit, & æquum,
Et poterit Musis utilis esse tuis.
Lætus eram, mentemq; meam noua dicta mouebãt,
Respondi placidæ, sic tamen ipse, Deæ.
Quidquid erit, non ulla moror, sed nostra futura est
Pieris ad partes officiosa suas.

AD DOMINVM CONRADVM NESENVM I. V. LICENTIATVM, ET CONSVLEM ZITTAVIENSEM.

*

NObile Zittauii columen Nesene potentis,
Qui regis arbitrio, quidquid in urbe regis.
Forsitan accusas tardæ mea pectora Musæ,
Hanc animiq́ꝫ putas desidis esse moram.
Quod tua non insunt nostro ueneranda libello
Nomina, perpetuo carmine digna cani.
Non elegi poterant tanti comprendere laudes,
Ipsaq́ꝫ uirtutis præmia uera, Viri.
Nos te digna breui, multo maiora, canemus
Deq́ꝫ meum uero Consule carmen erit.

AD GENEROSVM DOMINVM IOANNEM CZARNY, A WITOWICZ, IN POMIANOWA.

MAxime Sarmatios inter proceresq́ꝫ Ducesq́ꝫ
Iane, nec Aonii gloria parua chori.
Detestanda bibit securæ pocula lethes,
Illius aut silicis semina pectus habet.

Qui

Qui te dicebat primo cognomine Czarny,
Quod nostro rectè dicitur ore, nigrum.
Qui niger esse potes? quis & hoc te nomine dicat?
Perspiciens mentis candida quæq́ꝫ, tuæ.
Candor & hic animi, (cuiuis bene notus honesto)
Purus & est constans & sine labe, tui.
Ergo si quis te nigrum, uel dixerit album,
Omnibus usq́ꝫ tamen candidus ipse manes.

IN ARMA DOMINI CHRISTOPHORI CZETVICZ A SCHILTBACH.

SI qs in hoc populo, cognoscat ut arma, studebit,
Qualia, Cetuitiæ gloria gentis, habet.
Non opus ut longis ambagibus ista requirat,
Sed legat hæc nostræ, scripta pusilla, Deæ.
Qualem dat nobis sydus cœleste figuram,
Aut habet in Græcis littera quarta, notam,
Hunc imitata modum fiebat fibula priscis,
Munus & emeriti militis illa fuit.
Hanc gerit in titulis, gemina cum cuspide claris,
(Magnus & in pugnis cuspidis usus erat)
Ista sibi tribuit præstans insignia Virtus,
Hæc gerit, antiquos gaudet & inter auos.

AD DOCTVM ET CLARISSIMVM DOMINVM VALENTINVM ECCHIVM, POETAM LAVREATVM.

*

INter Apollineos Ecchi celeberrime Vates,
O Ecchi, Clario non abigende Deo.
Cum tua diuersis sint nomina nota sub oris,
Insuper ingenii, dextera uena, tui.
Cumq; triumphalis cingat tua tempora Laurus,
Quæ tibi perpetuum fertq; feretq; decus.
Cumq; ego qui doctas animum coluere per artes,
Sedulus asidua sedulitate, colam.
Expetit ergo tuum meritò, mea Musa, fauorem,
Optat & illa tuæ notior esse Deæ.
Ergo age, nos animo nunc amplecteris amico,
Addita sit Musis & mea Musa tuis.

AD QVENDAM MVLTOS LIBROS HABENTEM.

NIl ego multorum numerosa uolumina curo,
Sit licet exiguus, sed bene cultus, ager.

PVLEX ISABELLÆ FILIÆ REGIÆ.

*

REgia solue, precor strictas Isabella catenas,
Nec mea tam duro carcere membra premas,
Solue precor, tantis nec me cruciatibus urgas,
Sit procul à uultu cura, timorq; tuo.
Non fugiam, uigilans sed tēpus in omne studebo,
Officiis animum demeruisse tuum.

AD QVENDAM QVI SIBI VIVO ROGAVIT EPITAPHIVM.

*

QVod tibi uiuus adhuc carmē funebre precaris,
Signet ut id tumulum, post tua fata, tuum.
Ipse lubens, quantum potero præstare, parabo.
Ingenii uires experiere mei.
Sed prius ut dicas nobis erit usq; necesse,
Eripiet quo te, Parca seuera, modo.
Incerti sumus ante diem, qua sorte subibit
Quilibet, elisii grata uireta soli.

DE CASTITATE MVLIERVM NOSTRARVM.

*

Bis duo lustra, fuit speculum immortale pudoris
Penelopè, uiduo sola relicta thoro.
Tot tentata dolis, tamen hæc permansit Vlyssi
Inter tot blandos, inuiolata, procos.
Hoc etiam nostræ faciunt, absente marito,
Legitimus nobis quas modo iunxit hymen.
Et ne quid timidæ tententur Dæmonis astu,
Nescio quæ tristes abdita claustra petant.

AD DOMINVM NICOLAVM HVBNERVM MECOENATEM, DE SPRETIS STVDIIS.

Turba nouenarum ueniat licet ipsa Sororum,
Adsit & aonia doctus Apollo chely.
Si non attulerint, quod quod modo quæritur, aurū,
Omnibus ista cohors finibus exul erit.
Laudantur multum longæua Poemata Vatum,
Diuitis at Cræsi quilibet æra petit.
Sola regit uastum regina pecunia mundum,
Est quamuis stabilem, non habitura locum,
Spretus

Spretus Apollo iacet, spernuntur Palladis artes,
Suntq; nouem nullo nunc in honore Deæ.
Hoc si Vergilius, si clarus sciret Homerus,
Non foret ad patrios cura redire lares.
Quid facerent? hos dura fames & turpis egestas,
Cogeret horrendæ fata subire necis.

AD ORNATISSIMVM IVVENEM CASPARVM FVRSTENBERGERVM.

Carmina pauca tui mortem dictura parentis,
Accipe, promissam nunc tibi soluo fidem.
Si libet & potis es me nunc in pluribus uti.
Vtere, sollicita mente paratus ero.

EPITAPHIVM CLARISSIMI VIRI IACOBI FVRSTENBVRGERI PATRICII GEDANENSIS.

*

Plangite nobiscum ciues, puerique senesq;
Plangite, tristitiæ sint noua signa nouæ.
Qui potuit casus, urbisq; leuare procellas,
Hunc rapuit tristi, mors uiolenta, manu.
Hic quoties ibat uarias orator ad oras,
Nestorea potuit flectere uoce Duces.

G Publica

Publica curabat studio, uigiliq́ꝫ labore,
Certus erat uestri Duxq́ꝫ paterq́ꝫ status?
Vos memores, fatum cum sit mutabile nulli,
Nobiscum grata dicite mente preces.
Sit tibi pro meritis leuis & sine pondere tellus,
Et tua perpetuo molliter ossa cubent.

DISTICHON ANNI NVMERVM CONTINENS EIVSDEM.

*

QVo coniux tristi, post funera mœsta, locatur.
Huc ego post uitæ, fata seuera, locor.

AD QVENDAM GLORIOSVM ET RVSTICVM POETAM.

*

NVper ut urbanæ legi tua carmina Musæ,
Quæ certè salsi plena saporis erant.
Laxior aluus erat subitò, dentesq́ꝫ dolebant,
Amisit uires pesq́ꝫ caputq́ꝫ suas.
Talibus & noster uerbis iurabat Apollo,
Vnus hic ex multis, pinea serta, feret.

Ad quen-

AD QVENDAM QVEM COMITEM HABVIT.

PRo meritis in me collatis, munus habebis,
Qui nobis comites maximus inter eras.
Non precor Hesperidũ præstantia mala Sororum,
Nec tibi pactoli ripa beata fluat.
Sed quod multa uelim sestertia diues, haberes,
Attamen hæc uario te rapuisse dolo,
Et te carceribus clausum, uinctumq́ꝫ teneri,
Vtq́ꝫ breui coruis turpibus esca fores.

AD DOMINVM NICOLAVM HVBNERVM MECOENATEM.

ME, uitamq́ꝫ meam tibi debeo, sumq́ꝫ paratus,
Pro te si iubeas, terq́ꝫ quaterq́ꝫ mori.
Omnia Schrôterus tibi se debere fatetur,
Donec in hoc uiuo corpore, uiuus aget.

AD QVENDAM, VT SAEPIVS SCRIBAT. HORTATVR.

FOrsitan es studium, Musasq́ꝫ perosus Adami
(Quod procul auertat Diua Minerua) tui.

Quod mihi tam raro, blandam dictura salutem,
Perfertur digitis, charta notata, tuis.
Quando diem toties uotis, precibusq́ petitam,
Tithoni roseis proferet uxor equis?
Qua tandem uideam, uestræ pia scripta Thaliæ,
Quæ mihi te reddant, admoneantq́ tui.
Hanc ego nempe diem, seris annalibus addam,
Materiamq́ meis uersibus illa dabit.

IN IMAGINEM ISABELLAE FILIAE REGIAE.

REgia sic oculos Isabella, genasq́ ferebat, 21
Talis & in mœsto corpore, uestis erat.
Tristis ut amisit regni diadema potentis,
Et dedit insolito, colla premenda, iugo.

AD INVIDVM.

Quod Mecœnatem Schrôterus habebat amicum,
In promptu causa est, officiosus erat. 22.

AD CANDIDVM LECTOREM.

Pignora prima Deæ, uultu lege lector amico, 23.
Nam tibi, non criticis pignora nostra patent.
Este procul critici, procul hinc estote Catones,
Quilibet in propriis ingeniosus erit.

AD CLARISSIMVM ET NOBILEM DOMINVM NICOLAVM HVBNERVM, MECOENATEM,

CVM PRIMO ABIRET IN VNGARIAM.

* * *

O Dulcis studii Patrone nostri, 24
Præbet materiam meis Camœnis
Scribendi, pietas, fauorq́ summus,
Quo me non meritum foues, alisq́
Cogit me mea grata mens, iubetq́
Vt soluam tibi gratias perennes,
Vt te carminibus meæ Thaliæ,
Inter sydera collocem, feramq́.
Quamuis pertenuis, nimisq́ uilis,
Quamuis est tenebris sepulta magnis,
Æquè sed rogo consulas, boniq́.
Olim cum fuerit magis sub antro,
Musis Pierio, polita sacris
Omnes te populi tuumq́ nomen,
Inter nubila summa sic leuabunt,
Vt te posteritas legat, sciatq́
Quatuor rerum elementa dum manebunt,
Summi conspicuo poli sub axe.
Multum debeo si meo Parenti,
A quo prima meis origo membris,

A quo prima meis origo Musis,
Qui me Thespiadum per antra duxit.
Quid debere tibi Patrone dicam?
Qui à me munifica atq; liberali
Dextra, pauperiem fugas & aufers.
Inter Laurigeros locum Poetas,
Tu nobis tribuis, colende Vates.
Quare te mea Musa liberalem,
Vt semper meritò uocet Patronum,
Nunc quantum potis es, solesq; præsta.
Me quo pectore nunc amas, amato.
Me quo pectore nunc foues, foueto.
Sic det perpetuam tibi quietem,
Qui terras, Dominus, polosq; fœcit.

Virtus sola rogos fugit supremos,

LECTORI ANDREAS TRICESIVS.

*

PErlege Schroteri, carmen iuuenile, Poëtæ
Fœturamq; nouam candide quisquis ades,
Ista tibi dantur, qui postq̄ legeris, adsint
Auspiciis, dices, numina dextra bonis.
Non tibi qui toruam caperabis liuide frontem,
Liuide uipereo felle peruncte iecur.
Nam tibi nulla placent sint perfectissima quamuis,
Ipsius & summi pectore nata Iouis.
Censorem talem non uult hic ferre libellus,
Iudicii at pectus candidioris amat.
Crescat ut Autoris lectorum Musa fauore,
Plura breui his longè qui meliora dabit.
Sic etiam paruis oriuntur flumina riuis,
Postmodo quæ uasto gurgite adaucta ruunt.
Sic nuper quæ uirga fuit succrescit in altum,
Et latas platanus tollit in astra comas.

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ.